



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

12. Herculis comparatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Sic ubi mortales Tirynthius exiit artus,
 Parte sui meliore viget, majorque videri
 Capit, & augusta fieri gravitate verendus.
 Quem pater omnipotens, inter cava nubila raptum
 Quadrijugo eurru radiantibus intulit astris.

Ad propositum Horatius lib. 3. Od. 3.

Justum & tenacem propositi virum
 Non civium ardor prava jubentium,
 Non vultus instantis Tyranni.
 Mente quatit solidâ
 Hac arte Pollux, & vagus Hercules
 Innixus, aves attigit igneas:
 Quos inter Augustus recumbens
 Purpureo bibit ore nectar.

His artibus, id est virtutibus, justitia scilicet & propositi constan-
 tia, Heroës veteres Deorum mensis accubuerunt. Tyrannus ferox erat
 Eurystheus, qui virtutem Herculis exercuit, & ad ingentia præmia pro-
 vexit. *Vagus* hîc dicitur, ob multa maria, & longinquas terras pera-
 gratas. Laudat hæc Seneca in Herc. Oetæo.

Nunquam stygias fertur ad umbras
 Inclita virtus. Vivite fortes!
 Nec Lethæos sæva per amnes
 Vos fata trahent: sed cum summas
 Exiget horas consumpta dies,
 Iter ad superos gloria pandet.

X I I. (q) Juvat hîc apponere elegantem comparationem inter
 Herculem & Samsonem, ut magis atque magis appareat, quod non se-
 mel ostendimus, Poëtarum commenta non esse tam casta & inania, ut
 tanquam ex paleis nihil melioris doctrinæ excuti vel extrudi possit. Nam
 altior sæpe veritas, & quidem sacra, sub his umbris latet. Audiamus
 virum excellentis doctrinæ de utroque heroum istorum differentem.
 Hercules fertur, inquit P. Georgius Stengelius tomo 2. de Judiciis div.
 c. 50. n. 12. in prima jam ætate ad eum fuisse robustus, ut vel in cunis
 duos angues, arctato gutture eliserit. De Samfone scribitur: *Crevis*
puer, & benedixit ei Dominus, cepitque Spiritus Domini esse cum eo. Ju-
 dic. 13. Quia scilicet heroica animi & corporis fortitudine eum do-
 navit. 2. Hercules fingitur adamantinas inferorum portas effregisse, ut
 inde

(q) Comparatio Samsonis & Herculis.

inde Cerberum vinctum in auras extraheret : Samson ab hostibus obfessus apprehendit ambas porta fores cum postibus suis & serâ, impositasque humeris suis portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron. 3. Hercules etsi apud Omphalem serviit, & effeminatus est, robur tamen corporis non perdidit, sed *Cacum & Nessum*, & alia etiam monstra interfecit : Samson etsi in urbe Gaza vetitis amoribus implicatus fuit, retinuit tamen robur divinitus datum, quo portas urbis convellit cum vectibus suis, & in montem vicinum asportavit. 4. Hercules non gladio, non hasta, sed clavâ armatus; Samson itidem neque ense, neque lancea, sed asini maxilla, tanquam clavâ, mille Philisthæos mactavit. 5. Uterque leonis domitor, leonis exuvias meritus est; ille tamen victori suo pellem, iste dapem dedit. 6. Herculem noverca Juno, Samsonem dolosa Dalila, illa odio, hæc ficto amore agitavit. 7. Hercules Centaurum, Hydram, cervam æripedem, Harpyias, aliâque monstra superavit; Samson Ascalonitarum, Gazaorum, Philistinorumque aliorum impetum fregit. 8. Hercules in monte *Oeta* mortem ultro suscepit; idem fecit Samson, sed tanquam publicus populi sui iudex, vindæque, facultate ad id à Deo accepta. 9. Hercules Abylen & Calpen duos vastissimos montes conjunxit, & in mari Occidentali seu Gaditano duas victoriarum suarum columnas, tanquam munimenta erexit; Samson apprehendens ambas columnas, quibus domus innitebatur; fortissimè concussit, & unâ cum illis fanum idoli *Dagonis*, multâque hominum millia, & unâ seipsum, altiore instinctu, stravit. Vides hic, quid Ægyptij ab exulibus Hebræis; & quid ab Ægyptiis didicerint Græci, heroicæ virtutis ac fortitudinis imaginem, per fabulas adumbrantes. Cæterum Hercules Nemeæus Leo inter astra collocatus, rictu, pectore, caudâ ardente symbolum est hominis iracundi.

Aspice prostratum Nemees in valle Leonem:

Herculeæ dextræ gloria prima fuit.

Tenuit in terris populos: & torret in astris,

Horrida sive solo bellua, sive polo.

Hic typus irati est: quos pectore concipit ignes,

Ore vomit, dextra percutiente jacit.



SYM-